[illegible] de 31 [illegible]
[illegible] capitulos [illegible]
[illegible]
[illegible]
[illegible] — 1612
Al 1773 [illegible]
[illegible]

ACTA CAPITULI PROVINCIALIS CELEBRATI IN IMPERIALI S. P. N. DOMINICI MEXICANO CœNOBIO

die vigeſima nona menſis Aprilis anni Domini milleſimi ſeptingenteſimi ſexageſimi noni

SUB R. ADM. P. N.

FR. PETRO GARRIDO,

in Sacra Theologia Magiſt. omnium conſenſu ad Provincialatus culmen impræſentiarum evecto,

DEFINIENTIBUS UNA CUM IPSO

RR.adm. PP. NN. FR. JOSEPHO DOMINICO SOSSA, in Sacr. Theolog. Mag. S. Officii Qualificatore, pro Mex. Univerſ. Theol. Doctore, in eadem Angelici noſtri Magiſtri Exedræ moderatore, Capit. Gener. quondam electo Definitore, & Tertii Ordinis de Pœnitentia Magiſtr. Directore, ex natis in Indiis primo Definitore; Fr. ANTONIO ARRATIA, in Sac. Theol. Mag. ex natis in Indiis ſecundo Definitore; Fr. HIERONYMO CAMPS in Sac. Theol. Præſentato, & Mex. Archiepiſcopatus Examinatore Synodali, ex natis in Hiſp. tertio Definitore; & Fr. JOSEPHO JOACHIMO RAMONELL, ex-Lectore, S. Officii Qualificatore, Archiepiſcopatus Mex. & Epiſcop. Durangenſis Synodali Examinatore, noſtrique Conv. Ss. Ap. Philippi, & Jacobi de Aztcapotzalco Priore, ex natis in Hiſp. quarto Definitore.

EX TYPIS LIC. D. JOSEPHI JAUREGUI.



JHS

IN NOMINE PATRIS, ET FILII, ET SPIRITUS SANCTI. AMEN.

ABSOLUTIONES.

Absolvimus ómnes Suppriores Conventuum, Vicariosque, & Præsides Domorum hujus Provinciæ.

DENUNTIATIONES.

1. DEnuntiamus: quod cum R. adm. P. N. Fr. Nicolaus Troncoso in Sac. Theol. Mag. S. Officii Qualificator, Mexicani Archiepiscopatus Synodalis Examinator, pro utraque Curia olim Procurator, & Gener. Capit. Definitor per quatuor annos (Deo sic ad nostrum solatium, totiusque Provinciæ utilitatem disponente) summa prudentia, infatigabili Regularis Disciplinæ zelo, omnibusque numeris absoluto Regimine hujus Jacobeæ Eparchiæ pondus sustentasset; oneri tandem valedicturus, Electores ad nostrum Mexicanum Conventum à Dominica Septuagesimæ, quæ in diem incidit 21. Januarii, per encyclicas litteras vocavit, ut dictæ Provinciæ de idoneo Patre, & Pastore providerent. Qui demum die (calculo sane candido signanda) 29. Aprilis decurrentis anni 1769. in Capitulo per campanulæ sonum congregati, Præside R. adm. P. Fr. Antonio Viar, & Larrumbe, in Sac. Theol. Magist. & ejusdem Conventus dignissimo Priore, servatisque omnibus in Canonicis Electionibus servandis, ad Provincialatus fastigium jure Alternativæ tunc ad Natos in Hispania pertinentis R. adm. P. N. Fr. Petrum Garrido, in Sacra Theologia Magistrum communi plausu, omniumque gratulatione ob præclara ipsius merita, egregiasque dotes, quibus jampridem cunctorum animos in se converterat, elevarunt. Cui submisse, utpote rite electo, obedientiam dedimus: atque ejus Electionem Rmi. P. N. Mag. Gen. authoritate firmari, postulamus.

2. Denuntiamus: quod cum multi experti fuissent laxioris ethices Professores, qui variis cavillationibus, rationibusque futilibus occupati, constitutiones Apostolicas, quibus Regularibus administratio Sacramenti Pœnitentiæ Monialibus ipsorum jurisdictioni subjectis, Ordinarii non præhabita approbatione,

batione, vetatur, nullius roboris impræſentiarum eſſe, exiſtimarent; Catholicus noſter Rex per Decretum ſub die 6. Aprilis anni 1764 datum & à nobis die 15. Julii ejuſdem anni receptum, laudatam Legem adamuſsim obſervari (ut eam adverſus ipſius Oſſores ſua Suprema Authoritate, Angelopolitano Præſule precante, defenderet) imperavit.

3. Denuntiamus: die 19. Auguſti anni 1765. ad nos Litteras N. Rmi. M. G. die 8. Martii ejuſdem anni expeditas perveniſſe, quibus Acta Capituli Provincialis hujus Mexicanæ Provinciæ die 10. Maji anni 1760. celebrati, *non nullis animadverſis*, *mutatis*, *explicatis*, *additisque*, confirmat; denuoque præcipit inter cætera univerſæ Provinciæ patefacta, ab omnibus obſervata, & in poſterum, Deo propitiante, obſervanda, ut tam in Collegio noſtro Portæ-Cœli, quam in cæteris Studiis iſtius Provinciæ Lectores Sacræ Theologiæ, miſsis quibuscumque Theologicis Inſtitutionibus, ſolummodo textum, ſeu litteram Summæ S. Thomæ Doctoris Angelici ſuis Auditoribus explicent; Lectoresque Philoſophiæ non alias niſi Inſtitutiones, quas Antonius Goudinus Ordinis noſtri Theologus ſcripſit, Adoleſcentibus tradant. Quibus, attentis omnibus in Litteris expreſsis circunſtantiis, humili reverentia paruimus, pro omnimoda obſervantia vigilavimus, & dictas Litteras typis mandatas ad N. Rmum, ipſius præcepto obtemperaturi, remiſimus.

4. Denuntiamus: fortunato nos auſpicio cum Hiſpaniæ, tum Indiarum Regnorum felicitatem in Matrimonio inter Sereniſsimos D. Carolum Aſturiarum Principem, & D. Ludovicam Sereniſsimi D Philippi, Hiſpaniæ Infantis, & Parmæ, ac Placentiæ Ducis Filiam magna omnium Ordinum gratulatione celebrato, & nobis die 16. Januarii anni 1766. per Regalem Schedulam nuntiato, Deo perſolventes gratias, conſpexiſſe.

5. Denuntiamus: die 10 Decembris ejuſdem anni ad nos Decretum Sac. Rituum Congregationis fuiſſe delatum, quo annuente Smo. Dño N. Clemente PP. XIII. Ordini N. conceditur, ut Officium, & Miſſa de Com. Virg. cum Lectionibus pro ſecundo Nocturno, & Oratione propriis B. Benvenutæ Bojani anniverſaria ſolemnitate celebretur: cujus admirabilis Virginis inter Cœlites adſcriptionem nobis per aliud Decretum die 19. Septembris anni 1765. receptum referatam pro Dei gloria, proque majori noſtri Ordinis ornamento geminatis plauſibus fueramus concionati.

6. Denuntiamus: per Litteras N. Rmi. M. G. amaritudine, ut juſtum erat, plenas, & die 15. Auguſti anni 1766 datas nobis die 11. Julii anni 1767. denuntiatam eſſe Eliſabethæ Reginæ Philippi V. Uxoris, & Caroli III. Hiſpaniarum Regis Matris lachrymabilem mortem, omnibus, & præcipue nobis dolentiſsimam: pro cujus Anima ſecundum earumdem litterarum tenorem Suffragia in tota noſtra Provincia peregimus, Deoque preces fudimus, ut in Cœlum migraret, Regni æterni Coronam perceptura.

7. Denuntiamus: magnum nobis die 19. Auguſti anni 1767 adduxiſſe gaudium, piamque in Domino lætitiam alia duo Sac. Rituum Congregationis Decreta Beatificationis, & Canonizationis, ſeu Declarationis Martyrii VV. Servorum Dei Petri Martyris Sans, Epiſcopi Mauricatren. & Vicarii Apoſtolici Provinciæ Fo-Kien. in Regno Sinarum, Franciſci Serrano, electi Epiſcopi Tipaſitani, ac Vicarii Apoſtolici ejuſdem Provinciæ Fo-Kien. Joachimi Royo, Joannis Alcober, Franciſci Diaz, Franciſci Gil de Federich, & Mat-

thæi

ci Leziniana Sacerdotum, & Missionariorum ex Ordine nostro, qui inter fideles pro Christi fide magnum certamen certarunt; & vitam pro Domino, artyrii gloria laureati profuderunt.

8. Denuntiamus: tandem nos die 28. Decembris prædicti anni diu optas, & ab omnibus suspiratas Litteras recepisse, quibus N. Rmus. M. G. in rovincialatus Fastigio R adm. P.N.M. Fr. Nicolaum Troncoso roborare, ipsius electionem ab hac Provincia sub die 11. Maji anni 1765. factam, vota ostra implens, confirmare fuit dignatus.

9 Denuntiamus die 23. Februarii anni 1768. Regiam venisse ad nos Orinationem, qua Prudentissimus Hispaniarum Rex Carolus III. suum Impeium & jucundiori felicitate regere, & firmiori securitate conservare desiderans, Clericos omnes sive Seculares, sive Regulares in Ditionibus extraneis atos ab Hispaniarum, Indiarumque finibus extemplo decrevit relegandos.

10. Denuntiamus: cunctis in Domino super Ove, quæ mortua erat, & evixit, perierat, & inventa fuit gaudentibus, perlectum fuisse die 4. Aprilis nni qui supra Sac. Rituum Congregationis Decretum, quo, assentiente Smo. Dño N. Clemente XIII. B. Antonii Neyrot de Ripulis ab impiis Mahumeis Cultoribus in odium Fidei Christianæ interfecti cultus probatur: pariter & aliud, quo, eodem Pontif. Max. annuente, nostro Prædicatorum Ordini conceditur, ut istius Martyris Memoria cum Officio, & Missa de Com. Mart. & Oratione propria, Lectionibusque etiam propriis pro secundo Noct. per Decretum aliud postea concessis, ritu duplicis quotannis peragatur.

11. Denuntiamus: quod cum magna animorum jactura, Dei offensa, & Regiæ Justitiæ injuria compertum fuisset, falsas prorsus, seditiosasque revelationes à quibusdam Monialibus malis spiritibus animatis, & pejoribus directis esse fictas, futura tempora promittentes, quibus in Regna nostra exules Jesuitæ revertantur; ne in posterum tanta pernicies altiores radices ageret, Catholicus noster Rex per Decretum 19 die Martii anni 1768. datum, & à nobis ejusdem anni die 21 Julii receptum Archiepiscopos, Episcopos, cæterosque Prælatos est hortatus, ut vigilantiæ seris, authoritatisque clavibus cœlum dictis revelationibus, animos à tam audaci consilio procul avertentes, occludant.

12. Denuntiamus: Regalem Provisionem Matriti die 16. Martii anni 1768. datam ad nos die 27. Julii ejusdem anni venisse, qua præcipitur, ut Exemplaria omnia Litterarum, quæ è Romana Curia adversus Parmæ Ministerium die 30. Januarii supradicti anni emanarunt, diligenti cura recolligantur.

13. Denuntiamus: die 3. Augusti anni 1768. nobis factum esse notum aliud Catholici Regis Decretum sub dicti anni die 13. Martii expeditum, ut liber in publicum exeat Liber, cui titulus est: *Incommoda Probabilismi*, à Fr. Vincentio Màs de Casavalls, Ordinis nostri Theologo, & in Universitate Valentina Primario S. Thomæ Professore elaboratus; simulque ut omnes laureandi, vel ad Cathedras, & Magisteria Studiorum, & Universitatum promovendi ad defensionem doctrinæ in Concilii Constantiensis Sessione 15 contentæ juramento deinceps obstringantur, vi cujus perniciosam Regicidii, & Tyranicidii doctrinam (adversus Legitimas Potestates umbrarum dominus ortam) penitus rejicere, & ad imum convellere, promittant. Quod nos pro

ea,

ea, qua erga nostros Principes ferimur, observantia lætis animis auscultavimus, totque celebravimus plausibus, quot fuerunt semper lachrymæ, quibus illius gladii, veneni, incendii, pestis funestissimas clades plorabamus.

14. Denuntiamus: die 29. Martii anni 1769. nostris oculis fuisse oblatum aliud Potentissimi Caroli III. Decretum sub die 18. Octobris anni 1768 datum, quo tandem subito Societatis Scolam in toto hoc Imperio extingui, Societatis Doctrinam à Studiis, & Universitatibus arceri, Societatis Authores, eorum adveniente fine, in oblivionis regionem vidimus relegari.

15. Denuntiamus: Exc. istius Novæ Hispaniæ Pro-Regis datis Decretis è nostra Provincia ad Seculares Clericos transiisse Domos, ad Parœcias S. P. N. Dominici de Tlatiltenanco, S. Michaëlis de Tlatizapan, & S. P. N. Dominici de Oaztepec: quarum prima die 14. Septembris anni 1766. secunda die 7. Februarii anni 1767. & tertia die 23. Novembris anni 1768. ablatæ fuerunt.

16. Denuntiamus: per litteras N. Rmi. denuntiatione 3. memoratas institutos esse in Depositarios, & Exactores annuorum fructuum ex reditibus Collegii S. Ludovici R. adm. P. Mag. ac Doct. Fr. Josephum Dominicum de Solla, Indianum, R. adm. P. N. Mag. Fr. Franciscum Larrea, & R. P. Præsent. Fr. Hieronymum Camps, Hispanos.

17. Denuntiamus: die 12. Aprilis præsentis anni 1769. ex Hispania ad nostram Provinciam 20. Viros Religiosos appulisse, decem ad alternandum in Officiis, & Gradibus istius Provinciæ, decem ad prædicandum barbaris Nationibus Sanctum Jesu-Christi Evangelium, Caroli III. Hispaniarum Regis dato Decreto, ut Aerarii ipsius impensis transducti, Missiones Patrum Societatis Provinciæ nostræ viciniores occuparent, destinatos: quorum Nomina, Cognomina, Patriæ, Conventus, annique professionis, & ætatis sunt, ut infra habentur.

Qui ad alternativæ legem conservandam fuerunt assumpti, sunt

1. R. P. Lect. Fr. Vincentius Fernandez Salcedo in Oppido Bellomontii natus, & in Conventu Matritensi S. Mariæ de Athocha Religioni adscriptus qui in sua Provincia semel atque iterum Philosophiam docuit, & habet ætatis 34. professionis 17. annos.

2. R. P. Lect. Fr. Joseph Bouza in Valle S. Mariæ del Rosal Tudensis Episcopatus ortus, & Salmanticensis Conventus Filius, qui ad Philosophiæ Cathedram Conventus S. Mariæ de Trianos fuerat assumptus. Aetatis 30. professionis 11. numerat annos.

3. P. Fr. Petrus Blanco, qui in Villa Benaventi Ovetensis Episcopatus ortum duxit, & in Salmanticensi Conventu Religioni nomen dedit. Aetatis 26. professionis 9. habet annos.

4. P. Fr. Antonius Palero in Oppido de Tendilla Toletani Archiepiscopatus natus, & in Matritensi S. Thomæ Conventu professus. Aetatis 29. professionis 6. supputat annos.

5. P. Fr. Laurentius del Villar, Luzenæ ortus, & in Cordubensi S. Pauli Conventu Religioni adscriptus. Aetatis 26. professionis 10. habet annos.

6. P. Fr. Petrus Perez in Villa de Misas Malacitani Episcopatus natus, &

& ejusden Civitatis Conventus Filius. Aetatis 25 professionis 11. percenset annos.

7. P. Fr Raphaël Antonius Moreno Contestanus in Oppido *de Pedro Muñoz* nominato natus, & in Toletano S. Petri Martyris Conventu professus. Aetatis 26. professionis 7. enumerat annos.

8 P. Fr. Joannes Galindo, cujus Patria S. Maria del Campo, Episcopatus Conchensis, Conventus Abulensis, ætatis anni 25. professionis 8. sunt.

9. P. Fr. Josephus Garcia, in Civitate Thauri Zamorensis Episcopatus in lucem eductus, & Segoviensis Conventus Filius. Ab ortu 24. á professione 8. recenset annos.

10. Fr. Joannes Roman, Diaconus, in Oppido de Villarrubia Toletani Archiepiscopatus ortus, & in Matritensi Dominæ Nostræ de Atocha Prædicatorum Familiæ annumeratus. Aetatis, 23. professionis 7. computat annos.

Qui ad Sacrum Prædicandi Munus electi fuerunt, sunt qui sequuntur.

1. P. Fr. Joseph Ausina, Valentiæ natus, & ejusdem Civitatis Conventus Filius, qui ætatis 30. professionis 14. habet annos.

2. P. Fr. Antonius Garcia Salas, in Oppido de Llames Ovetensis Episcopatus ortus, & in Abulensi Conventu professus. Aetatis 29. professionis 10 percenset annos.

3. P. Fr. Joseph Armesto, qui in Oppido vulgo Salaño Compostellani Archiepiscopatus natale habuit, & in Salmanticensi Conventu professionem emisit, ætatisque 27. professionis vero 11. numerat annos.

4. P. Fr. Joseph Fernandez Salcedo, patria Bellomontanus, & Salmanticensis Conventus Filius, cui ætatis 28. professionis 11 sunt anni.

5. P. Fr. Joannes Estevés in Aloraina Malacitani Episcopatus Oppido natus, & in Hispalensi de Regina Conventu Religioni ascriptus, cujus ætatis 27. professionis 11 numerantur anni.

6. P. Fr. Joseph Naranjo Hispali natus, & in ejusdem Civitatis Conv de Regina vocato professus, qui ab ortu 30 â professione 14. recenset annos

7. P. Fr. Joseph Garcia in Malacitani Episcopatus Oppido de Churriana vitam ingressus, & Malacitano Conventu Religioni natus, cui à primo ortu 30. à secundo 12. sunt anni.

8. R. P. Lect. Fr. Hieronymus Soldevilla in Villa Erganica, seu, ut vulgo dicitur, de Alcaniz Cæsaraugustani Archiepiscopatus ortus, & ejusdem Villæ Conventus Filius, qui proprias oras Lector jam institutus Philosophiæ reliquit. Aetatis 27. professionis 11. enumerat annos.

9. P. Fr Joannes Chrysostomus Gomez in loco de Pancrudo Cæsaraugustani Archiepiscopatus natus, & ejusdem Oppidi Conventus Filius, qui ab ortu 28 à professione 11. computat annos.

10. P. Fr. Christophorus de Vera Villæ Complutensis vulgo de los Gazules Episcopatus Gadicensis nativitate, & Gadicensis Conventus professione Filius. Aetatis 27. professionis 9 supputat annos

Quibus cum Missionariis Religiosis una duo Fratres Conversi, illis associati, ejusdemq Aerarii sumptibus sustentandi venerunt, nimirum, Fr. Albertus Coma in Vicensi Civitate Principatus Cattaloniæ natus, & Conventu Tremp-

Trempsensi Religioni annumeratus, cujus ab ortu 29. à professione 7. elapsi fuant anni: & Fr. Petrus Martyr Sabbatèr, Barchinonensis, & ejusdem Civitatis Conventus Filius, qui vitæ 28. professionis 12. numerat annos.

Sed cum jam Vineæ Domini Operarii ad illam excolendam, Verbique Divini Semina spargenda fidei zelo succensi se se accingerent, & Missiones peterent designari, in quibus ea quæ prudenter disposuerant ad effectum possent animi fortitudine perducere, illumque aggredi laborem, pro quo Patriam relinquere, maria calcare, & in Regionem pergere longinquam, non dubitarunt; oleum, & operam post tot pericula, navigationes, itinera, labores invenerunt perdidisse. Nam etsi Regis Imperio eos ad prædictum munus obeundum R. adm. P. Mag. Fr. Joannes Antonius Fernandez vocasset, conduxissetque, data ad eum D. D. Thomæ del Mello, Catholicæ Majestatis à Secretis epistola, ut Regium Mandatum fideliori cura, & prompta sollicitudine exequeretur; tamen Excmus. istius Novæ Hispaniæ Pro-Rex, nullum super hoc se Regis Jussum habuisse, dictasque Missiones aliorum Religiosorum curæ commissas jam esse, respondit. Quapropter nominatos duodecim Religiosos in nostris Conventibus hospitio excipiendos, censuimus, interea dum, Rege, N. que Rmo. consultis, nobis, quid de illis faciendum sit, innotescit.

18. Denuntiamus: quod die 3. Maji currentis anni Patres Vocales in Capitulo congregati canonice elegerunt in Generalis Capituli Definitorem, & pro Romana, Matritensique Curiis Procuratorem R. P. Præsent. Fr. Joannem de Deo Cordova in Indiis natum, insimulque in ejus Socium, seu, quatenus opus fuerit, Electorem R. P. Præsent. ac Theolog. Doct. Fr Josephum Gomez, in Hispania ortum, sive Capitulum Generale proxime celebrandum sit Provincialium, sive Definitorum.

19. Denuntiamus: quod Illmi. Compostellani Antistitis Fr. Antonii de Monroy quondam nostri Ordinis Gener. Mag. ordinationem impleturi, R. adm. P. N. Mag. Fr. Nicolaum Troncoso coram Nobis definientibus, ut sui Regiminis rationem redderet, fixis antea in Conventu Imperiali nostro edictis, fecimus comparere: & cum nulla Fratrum querimonia, aut quidquam aliud, quod Legibus nostris adversari videretur, adversus eum emersisset, imo omnia à S P. adm R. juste, prudenter, laudabiliterque peracta invenissemus, dignas ipsi æquum duximus persolvere grates.

20. Denuntiamus: die 19. Februarii anni 1768. ad nos litteras N. Rmi. Mag. Gener. sub die 8. Septembris anni 1767. datas Acta Capituli Provincialis in hac nostra Provincia die 11. Maji anni 1765. celebrati confirmantes pervenisse, quibus ea, qua erga nostri Ordinis conservationem, decorem, & incrementum, sollicitudine, pollet, lectionem cujuscumque generis Librorum, in quibus opiniones laxæ, parum tutæ, & minus consonæ Morali S. Thomæ Doctrinæ continentur (præterquam ad impugnandum) ne in profanarum vocum novitatum laqueum sane formidandum incidamus, prohibet: nosque ad Sublimioribus Potestatibus debitam venerationem, dilectionem, & obedientiam; ad Animarum salutem verbo, & exemplo procurandam; ad aliaque nostro Ordini plurimum profutura Verbis sapientia, zelo, charitateque plenis adhortatur. Præterea ut Provincia nostra illud, quod tanquam Pater amantissimus desiderat, in Litteris incrementum valeat obtinere, Cathedram

Mel-

Melchioris Cani in Studiis Generalibus dictæ Provinciæ inſtituit, præcipiens, ut poſtquam Adoleſcentes noſtri ſtatuto tempore Philoſophiæ operam dederint, in prædicti Cani de Locis Theologicis Opere per annum integrum exerceantur. Deinde jubet (ut omnis deinceps Graduum confuſsio tollatur, & eorum inter Natos in Indiis, & Natos in Hiſpania æqua diſtributio ſervetur) ut in præſenti Capitulo ſumma cura, illibataque fide Cathalogus conficiatur omnium Magiſteriorum, Præſentaturarum, & Prædicaturarum Generalium titulo cum Conventus, tum Linguæ, ſive vacua ſint, ſive non, adjectis in ſingulis Nominibus, & Nationibus illorum, qui ea actu poſsident, vel, ſi vacua reperiantur, qui ea poſtremo obtinuerint. Quam denuntiationem ultimo loco faciendam duximus, ut ad calcem ipſius dictum Cathalogum, fide ſervata in omnibus, exhibeamus.

MAGISTERIA TITULO LECTIONIS, quæ duodecim ſunt, ſex ad Natos in Indiis, ſex ad Natos in Hiſpania pertinentia.

Ex Natis in Indiis habent

PRimum Magiſterium R. adm. P.N.Fr.Nicolaus Troncoſo:

Secundum R.adm. P.Fr. Joſeph Dominicus de Soſſa:

Tertium R. adm. P. Fr. Antonius de Arratia:

Quartum R. adm. P.Fr. Antonius Viar, & Larrimbe:

Quintum R. adm. P.Fr. Antonius Mancilla:

Sextum R. adm. P. Fr. Petrus de Herboſo,

Ex Natis in Hiſpania obtinent

PRimum Magiſterium R. adm. P. N. Fr. Franciſcus Larrea:

Secundum R.adm. P.Fr. Didacus Maguete de Leon:

Tertium R. adm. P. Fr. Petrus Moreno, & Sañudo:

Quartum R. adm. P.Fr. Michaël Rodriguez:

Quintum R. adm. P.Fr. Joan.Petrus de Iriarte:

Sextũ R.adm.P.Fr.Joan. Antonius Fernandez.

MAGISTERIA TITULO PRÆDICATIONIS, quæ ſunt tantum duo.

Primum Magiſterium habet R. adm. P. N. Fr. Petrus Garrido, Hiſpanus.

Secundum Magiſterium obtinet R. adm. P. Fr. Joannes Zeballos, & Villagutierre, Indian.

PRÆSENTATURÆ TITULO LECTIONIS, quæ ad duodecim, ſex unius, ſex alterius Nationis, reducuntur.

Quæ ad Natos in Indiis pertinent, obtinentur

Prima à R. P. Fr. Emmanuele Fleres:

Secunda à R. P. Fr. Emmanuele Caſtellanos:

Tertia à R. P. Fr. Joſepho Morales:

Quarta à R. P. Fr. Fran^co^. Xaverio del Roſal:

Quinta à R. P. Fr. Ferdinando Aviles:

Sexta à R. P. Fr. Joanne de Deo Cordova.

Quæ ad Natos in Hiſpania ſpectant, poſſidentur

Prima à R. P. Fr. Hieronymo Camps:

Secunda à R. P. Fr. Andrea de la Mota:

Tertia à R. P. Fr. Joanne Juncoſa:

Quarta à R. P. Fr. Ignatio Gentil:

Quinta à R. P. Fr. Joſepho Gomez:

Sexta vacua ob mortem R. P. Præſentati Fr. Stephani Gamero.

PRÆ-

PRÆSENTATURÆ TITULO PRÆDICAtionis, quæ ſunt quatuor, ex quibus

Prima actu eſt in R. P. Fr. Franciſco Diaz Leal, Indiano:

Secunda vacua ob aſcenſum ad Magiſterium R. adm. P. Fr. Joannis Zeballos, & Villagutierre, Indiani:

Tertia vacua ob mortem R. adm. P. N. Fr. Raymundi Sequera, Hiſp.

Quarta vacua ob aſcenſum ad Magiſterium R. adm. P. N. Fr. Petri Garrido, Hiſpani.

PRÆDICATURÆ GENERALES TITULO Conventus, quæ tantum decem numerantur, quia tot ſunt Conventus, quos, ablatis Doctrinis, Provincia noſtra in præſens comprehendit.

Prima Prædicatura Conventus S. P. N. Dominici de Mexico vacua ob mortem R. P. Fr. Joannis Eſcalera, Hiſpani.

Secunda Prædicatura Conventus S. Mariæ de Pietate actu habita à R. P. Fr. Thoma Cabrera, Hiſpano.

Tertia Prædicatura Conventus Ss. Apoſtolorum Petri, & Pauli de Queretaro actu habita à R. P. Fr. Vincentio à S. Maria, Hiſpano.

Quarta Prædicatura Conventus S. Roſæ de Sombrerete actu habita à R. P. Fr. Dominico Gomez, Hiſpano.

Quinta Prædicatura Conventus Aſſumptionis B. Mariæ V. de Amecamecam vacua ob mortem R. P. Fr. Joſephi Roher, Hiſpani.

Sexta Prædicatura Conventus S.Crucis de Zacathecas actu habita à R. P. Fr. Petro Sotomayor, Indiano.

Septima Prædicatura Conventus Sanctiſſimi Roſarii de Guadalaxara actu habita à R. P. Fr. Ferdinando Victoria, Indiano.

Octava Prædicatura Conventus S. Joannis del Rio actu habita à R. P. Fr. Vincentio Medina, Indiano.

Nona Prædicatura Conventus S. Jacobi Apoſtoli de Quautlan actu habita à R. P. Fr. Joſepho Morales, Indiano.

Decima Prædicatura Conventus Ss. Apoſtolorum Philippi, & Jacobi de Atzcapotzalco actu habita à R. P. Fr. Ignatio Aroſtegui, Indiano.

PRÆDICATURÆ GENERALES TITULO Linguæ ſex recēſentur, pro quibus nullus ex Natis in Hiſpania eſt poſtulatus, quia nō fuit ex eis, qui Idiomatis facultate ad illas obtinendas gradum fecerit.

Prima Prædicatura actu habetur à R. P. Fr. Vincentio Caſtrejon, Indiano.

Secunda obtinetur à R. P. Fr. Salvatore Villafaña, Indiano.

Ter-

Tertia possidetur à R. P. Fr. Antonio Vargas, Indiano.

Quarta obtinetur à R. P. Fr. Francisco Ribera, Indiano.

Quinta vacua ob mortem R. P. Fr. Michaëlis Caraza, Indiani.

Sexta vacua ob mortem R. P. Fr. Michaëlis Velasco, Indiani.

PRÆDICATURÆ TITULO MISSIONIS binario numero sunt clausæ.

Prima actu est in R. P. Fr. Cajetano Guerrero, Indiano.

Secunda vacua ob absentiam R. P. Fr. Francisci Elexabeytia, qui se Prædicatura abdicavit, ut suam iterum Hispaniæ Provinciam peteret.

ORDINATIONES.

1. Cum Maxime Regulari Disciplinæ, Provinciæ decori, & nostro
splendidissimo ornamento illa omnia, quæ in confirmatione Actorum præ-
cedentium Capitulorum à Rmo. P. N. M. G. fuere præcepta, expedire, consi-
deremus; ea in memoriam revocantes; omnes nostros Subditos per Viscera
Christi hortamur, ut suæ saluti, honori, & bonæ famæ consulentes illa in cor-
dis tabulis inscribere, tenere, & observantia implere non omittant.

2. Ordinamus (ut Domus nostræ Novitiorum jam jam ruituræ casus re-
paretur) quod omnes eleemosynæ, quæ ad hujus Imperialis Conventus fa-
bricam fuerint deinceps à fidelibus oblatæ, in prædictæ Novitiorum Domus
constructione, quousque penitus sit absoluta, expendantur. Præcipimu que
ne alicujus ædificii, aut domus fabrica dicto conjuncta Novitiatui construatur,
ex qua vel ejus situm minui, vel ejus quietem turbari, vel in minimis, le-
quatur

3. Cum sub Eucharistico Augustissimi Sacramenti Velamine Deus ille
sit, quem laudant Angeli, Dominationes adorant, tremunt Potestates, & in cujus
Conspectu nullum venerationis, ac supplicis reverentiæ signum est omitten-
cum

dum; præcipimus, ut in omnibus Conventibus, in quibus sufficiens Fratrum numerus ad Sacra omni solemnitate peragenda invenitur, non nisi cum Ministris (sicut in præsens usque factum est) & majori, quo valeant, devotionis apparatu Missa illa cantetur, quæ Feria V. per singulas septimanas ad renovandum Christi Corpus in Eucharistia celebratur.

4. Similiter nativam nostri Ordinis amœnitatem conservare cupientes, ne in nobis lætitiæ corona marcescat, omnes, & singulos Patres, ac Fratres monemus, ut saluberrimæ Mariani Psalterii devotioni ardentissimo incumbentes affectu, illam, ut granum nostræ curæ specialiter concreditum, verbo & opere in Populis studeant promovere.

5. Ut Sapientia illa, quam ab initio Ordo noster vocavit amicam, semper pulchra, numquam squalida, semper florida, nunquam inculta in nostra Provincia jaceat: utque Scientia Morum, artium Arte, & animabus curandis, ad Cœlumque deducendis apprime necessaria nostri Subditi possibili polleant eruditione, ne cœcus ducatum præstet cœco, & ambo in foveam cadant; præcipimus omnibus Prælatis, ut indefesso labore istius Doctrinæ studium promoventes, memorique sub pectore Leges nostras servantes, nullatenus laudabilem illam, qua, ternas de casibus conscientiæ lectiones in omnibus hebdomadibus, habendas, stabilitur, aboleri, minuive permittant; sed absque ulla dispensatione in suis Conventibus Controversias, seu Casus Morales ter adminus in hebdomada cunctis Patribus, Fratribusque assidentibus, & solis, qui in nostris Legibus nominatim excipiuntur, exceptis, haberi curent: in quibus nec Authoribus, qui vulgari lingua scripserunt, nec Casuistis aliquam redolentibus laxitatem utantur.

6. Cum, ut omnibus compertum est, Populus in magna copia, frequentissimoque concursu ad hujus Imperialis Conventus Ecclesiam quotidie, & præcipue diebus festis audiendi Sacrum, & recipiendi Pœnitentiæ Sacramentum causa confluat; RR. adm. PP. MM. commendamus, cæterisque præcipimus, ut nequaquam ad celebrandum Missæ Sacrificium simul è Sacristia egrediantur; sed si duo, vel tres pariter ad illud peragendum descenderint, unus post alterum exeat, ita ut nullus incipiat, usque dum primum ad minus Evangelium, qui prius egressus fuerit, terminatum penitus habeat. Simulque Confessariis inter Horas Canonicas deputatis mandamus, ut nulla causa, nulloque prætextu Sacrum peragant; nisi ante, vel post illas horas, quibus Confessionali assistere tenentur.

7. Quanvis res nostræ quam fractæ, dissipatæque sint non ignoremus; nihilominus ut viam omnem vel ipsi negotiationis umbræ, rationem nostr. Status considerantes, ipsius Sanctitati, & honori consulentes, Deoque unice fidentes, occludamus, ordinamus, & præcipimus, ut Promptuarium illud, in quo Saccharum nostri Prædii arundinacei, vulgo ***Trapiche de Quahuizxla***, venale ponebatur, & quod uno, & amplius ab hinc anno, magno revera hujus Conventus incommodo, justis tamen de causis, clausum manet, nulla, etiam gravissima, urgente necessitate ad ejusdem Sacchari, aut aliorum fructuum prostitutionem in posterum rursus assumatur. Et etiamsi nullus ex nostris Conventibus, Mexicano dempto, Prædia aliqua Frugifera, seu quæ fructus venales possint fundere, impræsentiarum possideat; tamen damna præcaventes futura, mandamus, ut si forte alicui Conventui, vel Domui in similium Posses-

num acquisitionem venire tempore aliquo contingat, neutiquam res alina, etiam ex propriis fructibus, in ipso Conventu, vel Domo vendibilis posexponi.

SUPPLICATIONES.

1. PErmultos, assiduosque labores considerantes, quos pro obtinendo Prædicaturæ Generalis Gradu RR. PP. Fr. Cajetanus Ruiz nostri Conventus S. Mariæ de Pietate Strictioris Observantiæ Prior, & Fr. Franciscus Estavillo antequam ad requisitam pervenissent ætatem, apposuerunt, quidem primo unum annum, secundo duos deficere, constat; N. Rmum. M.G. exoramus, ut super ætate cum dictis Patribus dispensare, & eos ad memoratum Gradū reddere habiles dignetur, quò vel illum obtinere valeant, vel pro eo assequendo jure postulati censeantur. Quam gratiam etiam pro P. Fr. Josepho Garcia, Hispano, qui tantum triginta duos ætatis annos numerat, postulamus.

2. Quanvis postulatio R. P. Præsent. Fr. Hieronymi Camps sit solum pro Magisterio forsan vacaturo, & jam in præcedenti Capitulo esset expositus, à præsentique Definitorio, dum de ea tractaretur, abfuisset; ne tamen munus Definitoris, quod tantum obedientia ductus in hoc Capitulo exercuit, prædictæ officiat postulationi, precibus à N. Rmo. enixis efflagitamus, ut quoscunque sanare haud dedignetur defectus, quos præfata in postulatione cognoverit irrepsisse.

POSTULATIONES.

ORdinationibus Rmi. M. G. Fr. Thomæ de Turco, & Rmi M. G. de Rippoll obtemperantes elegimus in merito um Judices, qui authentica uniuscujusque instrumeta reciperent, accurateque viderent, RR. adm. PP. MM. Fr. Petrum Herboso, Indianum, & Fr. Joannem Antonium Fernandez, Hispanum; quorum habita coram RR adm. PP. MM. ad id nobiscum, juxta Ordinationem Emi. quondam M. G. de Pipia, congregatis, de singulo um exanthlatis laboribus fideli informatione, de eorumdem PP. MM. consilio postulationes, & expositiones sequenti ordine distribuere, pro æquitate, & justitiá existimavimus.

PRO MAGISTERIO TITULO LECTIONIS ad Natos in Hispania attinente, si vacaverit

POstulamus 1. R. P. Præsent. Exam. Synod. & præsentis Capituli Definit. Fr. Hieronymum Camps, in præcedenti Capit. jam expositum; qui postquam in Conventu S. Jacobi de Tremps in Philosophia tradenda triennium, et in Magisterio Studentium exercendo biennium, tractatum etiam Theologicum auditorum profectu prælegendo, laudabiliter insumpsisset; ad suum S. Catharinæ, V. & M. Barchinonense Cœnobium reversus per annum integrum Studentium inibi Magisterium, nullis parcens laboribus, exercuit. Postmodum N. Provinciæ adscriptus Regentis Primarii munus, & onus suscepit,

pit, quod per tres annos, & quatuor Menses in nost. de Porta-Cœli Collegio, & per idem pene tempus in Mexicano Conventu summa vigilantia exercuit, duabusque Capitularibus Theologicis Disputationibus intra hoc sexennium Præsidis adfuit decoratus honore. Ab ortu 43. á professione 25. numerat annos.

2. Postulamus R. P. Præsent. Exam. Synod. & Provinciæ Procurat. Fr. Joannem Juncosa, in antecedenti similiter expositum Capit. qui Lectionis tempus in Aragoniæ Provincia ordine sequenti complevit: Triennio in Philosophia edocenda insumpto, per duos annos Studentium Magisterio, per duos Scripturæ Sacræ expositioni, & per quatuor Moralis Theologiæ Lectioni in Conventu S. Catharinæ Barchinonensi vacavit, per bienniumque Magisterii Studentium in Conventu S. Jacobi de Tremps onus sustinuit. Ad nost. tandem Provinciam translatus Regentis Secundarii laborem in Mexicano Conventu per unum, & dimidium annum exercuit. Ætatis 47 profes. 29. habet annos.

3. Postulamus R. P. Præsent. ac Theolog. Doct. Fr. Josephum Gomez de Figueroa, qui, absoluto in nostra Provinc. Studiorum curriculo, per triennium lectioni Philophiæ, per biennium Magisterio Studentium (quo tempore Capitulares Conclusiones habuit) & per septennium Theologiæ cum Moralis, tum Scolasticæ lectioni operam dedit. Post... lectionem Philosophiæ pro Sæcularibus assumpsit, qua quinquies publicis Conclusionibus præsuit, sed eam ad finem usque trahere, pressus infirmitate, non valuit. Vitæ 38. profes. 20. enumerat annos.

PRO MAGISTERIO TITULO LECTIONIS ad Natos in Indiis pertinente, si vacaverit

1. Postulamus R.P. Præsent Fr. Emmanuelem Fletes, in antecedentibus jam Capitulis postulatum, cujus meritis, & assiduis, peranti quisque laboribus in præcedentis Capituli Actis expressis addimus, justitia poscente, quod licet fractus viribus, annisque plenus Cursum Philosophiæ à R. P. Præsent. Fr. Josepho Gomez Figueroa incæptum continuavit, terminavitque tanto Auditorum profectu, ut pene omnes in Mexicana Universitate Baccalaurei merito existant, quia propter hoc onus Regentis Secundarii, quod ad hæc usque tempora in nost. Mexicano Conventu sustinuit, abjiceret, aut renueret. Aetatis 61. profes. 43. Præsentaturæ 21. complevit annos.

2. Postulamus R. P. Præsent. ac Theol. Doct. Fr. Josephum Morales qui, perlecta in Conventu N. de Guadalaxara Philosophia, Sacram Scripturam per triennium in Conventu Mexicano exposuit, totidemque annis in N. de Porta-Cœli Collegio Cathedam Moralis Theologiæ occupavit, ac tandem in eodem Mexicano Conventu aliud triennium in tradenda Scolastica Theologia consumpsit. Aetatis 61. profes. 44. supputat annos.

3. Postulamus R. P. Præsent. S. Officii Qualif. Exam. Synod. ac N. Collegii de Porta-Cœli Rectorem Fr. Franciscum Xaverium del Rosal, qui 24. annorum longo spatio, nullis parcens laboribus, in litterario agone se se,

pe-

enitus irrequieto sudore, fatigavit: nam postquam Philosophiam per triennium, & Sacr. Theolog. per novennium in Mexiceo Conventu tractaisset, per undecim annos Regentis Secundarii in N. de Porta-Cœli Collegio laborem subiit, in quo nunc jam per unum annum Primarii Regentis munere functus est, vi cujus in præsenti Capit. publicis Disputationibus præfuit. A nativitate 54. à profes. 38. percenset annos.

PRO PRÆSENTATURA TITULO Lectionis ad Natos in Hispania pertinente,

1. Actuque vacante ob mortem R. P. Præsent. Fr. Stephani Gamero 1. iterum postulamus R. P. Sti. Officii Qualificat. Exam. Synod. præsentis Capit. Definit. Fr. Josephum Joachimum Ramonell, qui postquam (sicut in ante-actis habetur) in Regio Majoricensi de la Palma Conventu per triennium Philosophiam legisset, & ad legendam Theolog. vi oppositionis ibidem approbationem meruisset; ad N. Provinciam transvectus in Conventu S. Rosæ de Sombrerete per octo, & amplius annos Regentis Primarii munus exercuit, & in Minervali campo, intentis semper oculis, vigilavit. Aetatis 47. profes. 29. numerat annos.

2. Postulamus R. P. Lect. Fr. Dominicum Gandarias, qui, peracto in N. Provincia, imo protenso Studii Theologiæ labore, ad Philosophiæ Cathedram assumptus, eam in N. de Porta-Cœli Collegio ea cura, sollicitudine, vigilantia, labore, quibus in dicto Collegio Litterarum Studia vigent, fuit moderatus. Post ad N. Mexicanum Conventum adductus, in Studentium Magistri exercitio unum annum, & in Sacr. Script. exponenda alium cum dimidio consumpsit. Ad præcitatum denique Collegium redux Sacr. iterum Script. per unum exposuit annum, quo expleto, primam Lect. Cani institutionem adeptus, in ipsius lectione alterius anni spatio laboravit, nuncque lecturæ stadium Theologiæ Cathedræ moderamine currit. Pluribus præfuit publicis Philosophiæ Disputationibus, & numerat vitæ 31. profes. 15. lectionis 8 annos.

3. Postulamus R. P. Lect. Fr. Ildefonsum Truxillo, qui, quinque consumptis annis in Guadalaxarensi Cœnobio, in Philosophiæ, & Theologiæ Lectionibus, inque Magistri Studentium munere, ad N. Mexicanum Conventum vocatus, duos ibidem annos in Sacr. Script. Lectione, unum in M. Cani explicatione, & unum in Theologiæ Cathedræ moderamine absolvit. Aetatis 39. profes. 22. lectionis 9. habet annos.

PRO PRÆSENTATURA FORTE VACAtura titulo lectionis ad Natos in Indiis spectante

1. Postulamus R. P. ex-Lect. ac Theol. Doct. Fr. Joachimum del Castillo, cujus egregia merita fuerunt iterum, atque iterum in præcedentium Capitulorum Actis, quibus est postulatus, memorata. Aetatis 60. profes. autem 44. decurrit annum.

 Postu-

2. Postulamus R. P. ex-Lect. Sti. Officii Qualificatorem, Episcopatus Durangensis Synodalem Examinatorem, Provinciæque Secretarium, & Socium Fr Josephum Georgium Alfaro, jampridem expositum, & in præcedenti Capitulo postulatum, qui pervigili, indefessaque cura litterarium arripuit, sustinuitque per tempora multa laborem: nam postea quam in N. de Porta-Cœli Collegio Philosophiæ, ac Theologiæ Studiis, multoties publicas Disputationes tum Logicæ, tum Philosophiæ, tum Theologiæ, tum Juris Canonici habens, terminum imposuisset, &, factis quinque pro oppositione ad Cathedram philosophiæ lectionibus, hinc in Conv. N. de Sombrerete fuisset adeptus, & frequentissimis privatis disputationibus, præter binas publicas moderatus; ad præcitatum Collegium revocatus, in eodem quadriennii spatio Cathedram Theologiæ occupavit, & bis Theologicis, etiam publicis, Conclusionibus præfuit. Iterum in Conventum de Sombrerete missus, per sex annos Regentis Primarii pondus, magno revera Studiorum incremento, subiit: quo tempore ad Durangensem Civitatem est profectus, Illmo illius Ecclesiæ Præsuli publicas Theologiæ, & Juris Canonici Conclusiones dicaturus: quibus adeo sapienter Præses adfuit, ut illum in sua Diœcesi Examinatorem Synodalem Illmus. Mecœnas constituerit. Deinde in eodem Regentis Primarii munere prope quatuordecim annos in Conventibus de Guadalaxara, & Sombrerete ad præsens usque consumpsit tempus, in quo ætatis 51. & profes. 33. numerat annos.

3. Postulamus R. P. ex-Lect. Episcopatus Durangensis Synodalem Examinatorem Fr. Joannem Visoso, in præterito proxime expositum Capitulo, qui, peracto in N. de Porta-Cœli Collegio Studiorum cursu, ad Lectionis stadium in N. de Sombrerete Cœnobio currendum assumptus, triennium in Philosophiæ, novennium in Sacræ Scripturæ, Moralisque, & Scolasticæ Theologiæ Cathedris regendis eo felici exitu absolvit, ut ex ejus Auditoribus 32. in Episcopatu Durangensi Parochiali honore decorati custodiam agant animarum: pedem que hic minime figens, in Regentia Primaria ejusdem Conventus per octo annos labores continuavit Quinquies publicis Disputationibus præfuit; & habet ætatis annos 46. profes. vero 28.

PRO I. PRÆSENTATURA TITULO Prædicationis ad Natos in Hispania pertinente,

1. Ad quam vacante ob ascensum ad Magisterium R. adm. P. N. Prior Prov. Fr. Petri Garrido I. postulamus R. P. Præd. Gener Fr. Dominicum Gomez Figueroa, qui, peracto in Conventu Cæsaraugustano S. Ildefonsi studiorum tempore, decem Quadragesimis, seu, ut vulgo dicitur, *tandas*, pluresque alias tam Panegyricas quam Morales Conciones tum in eadem Cæsaraugustana Civitate, tum Mexici, tum in Oppido de Amecamecan, tum in Conventu S. Rosæ de Sombrerete, pro quo Prædicator Generalis existit, peroravit. Aetatis 40. & profes. 21. recenset annos.

2. Postulamus R. u. Præd. Gener. Fr. Vincentium à Stâ. Maria, qui Philosophiæ, ac Theologiæ Doctrinis in Imperiali N. Mexicano Conventu

bene

ne instructus, Prædicationi Verbi Dei se totum dedit, munusque Prædicatoris Conventualis sibi impositum per quatuor annos in eodem Conventu laudabiliter exercuit. Quo tempore sicut & postea septem Quadragesimas, & supra viginti Panegyricos Sermones in Solemnioribus Festivitatibus Mexici, in Civitate de Queretaro peroratos magno audientium fructu, plausuque è sacro Suggestu fuit concionatus, laborem hunc cum temporalium rerum ipsius Mexicani Conventus, & negotiorum totius Provinciæ cura, quam per octo fere gessit annos, conjungens. Ab ortu 42. à profes. 14. & amplius trahit annos.

3. Postulamus R. P. Præd. Gener. Fr. Thomam Cabrera, qui in Civitate de Xerez, ubi Religioni fuit adscriptus, quinque Quadragesimas prædicavit, aliosque multos Sermones tam in eadem Civitate, quam in Portu de Stâ. Maria, Villa de Xalapa, & Civitate Mexicana dixit, quibus in locis Devotionem SS. Rosarii hominibus verbo, & exemplo persuasit. Aetatis 68. profes. 51. habet annos

PRO 2. PRÆSENTATURA TITULO Prædicationis ad Natos in Hispania attinente,

1. Actuque vacante ob mortem R. adm. P. N. ex-Prov. Fr. Raymundi de Sequera postulamus 1. R. P. Præd. Gener. Fr. Vincentium à Stâ. Maria.
2. R. P. Præd. Gener. Fr. Thomam Cabrera.

PRO MAGISTERIO TITULO PRÆDICAtionis ad Natos in Hispania spectante, si vacaverit

1. Postulamus R. P. Præd. Gener. Fr. Dominicum Gomez Figueroa.
2. R. P. Præd. Gener. Fr. Vincentium á Stâ. Maria.
3. R. P. Præd. Gener. Fr. Thomam Cabrera.

PRO PRÆSENTATURA TITULO Prædicationis ad Natos in Indiis pertinente,

1. Actuque vacante ob ascensum ad Magisterium R. adm. P. Fr. Joannis Zeballos Villagutierre 1. postulamus R. P. Præd. Gener. Fr. Josephum Morales, in præcedenti Capitulo postulatum, qui septemdecim Quadragesimas, & ducentos Panegyricos Sermones in bonis Civitatibus peroravit, & numerat vitæ 63. profes. 46 Præd. Gener 28. annos.

2. Postulamus R. P. Præd Gener. Fr. Cajetanum Guerrero, qui, studiis absolutis, & Philosophia perlecta, quindecim Quadragesimis Sacra Dogmata tractavit, & sexaginta tum Panegyricas, tum Morales Conciones Verbi Dei disertus Præco declamavit, à cujus prædicatione jam sexagenarius non quiescit. Aetatis 60. profes. 39. Præd. Gener. 19. absolvit annos.

